



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Valentis exercitu contra Gotthos mißo, ac quomodo Valens impietatis  
poenas persoluerit. Cap. XXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

## THEODOR. HISTOR.

tauit. Desine igitur tu bellum contra eum facere, & ipse bellum contra te commotum sedabit. Redde gregibus optimos pastores, & victoriam facile reportabis. Quod si his omnibus neglectis, bellum suscipias, rerum euentu experire, quàm durû sit contra stimulos calcitrare. Nam neq; ipse reuerteris, & exercitum præterea amittes. Cui admodum iratus imperator, reuertar, inquit, & te interficiam, falseque prædictionis pœnas abs te repetam. Tum ille minas neutiquâ veritus, clara voce, Eneca, inquit, si quid falsi me dixisse deprehenderis. Britannion quoque omni genere virtutis insigniter decoratus, totius Schytiaë episcopus, animo diuino pietatis amore accenso, pestiferam dogmatum Arianorum corruptelam, & iniqua facinora Valentis cõtra sanctos edita coarguit, & cû sanctissimo Dauide clamauit: Loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.

*Psal. 118*

*De Valentis exercitu contra Gothos misso, ac quomodo Valens impietatis pœnas persoluerit. CAP. XXXI.*

**A**T Valens, optimis illis consiliariis spretis, exercitum in expeditionem præmisit: illeque ipse in pago quodam commoratus, victoriam expectauit. Cæterum milites eius Barbarorum impetum haudquaquam sustinentes terga dant, inque fuga trucidantur: Nam Barbari eos cum celeritate fugientes, quantû poterant, persequebãtur. Atq; ad pagum, in quo Valens de clade suorum certior factus, latitare conabatur, accedentes, igni iniecto, illum ipsum pietatis aduersarium vnâ cum pago cremarunt. Hoc modo igitur impius ille tyrannus etiam in hac vita pœnas pro sceleribus luit.

*Quid causa fuerit quod Gotthi in Arianorum errorem inciderint.*

*CAP. XXXII.*

**H**Oc loco, quemadmodû Barbari pestifera erroris Ariani pernicie infecti fuerint, arbitror operæpretiû his, qui eius rei ignari sunt, enucleatè explanare. Vbi Istro transmiss-